12

DISPUTATIO

DE VARIOLIS ET MORBILLIS

Sexta & ultima:

ontinens πραγματολογίας partem quintam: in qua de Præſervatione & Curatione Variolarum & Morbillorum agitur:

Publici exercitii gratia in Argentoratenſium Univerſitate propoſita

à

MELCHIORE SEBIZIO MEDICINÆ DOCTORE AC PROFESSORE, COM. Palat. Cæſar. Reip. Archiatro, & Academ. h. t. Rectore:

RESPONDENTE

PAULO BARBETTE ARGENgentoratenſi.

ARGENTORATI,

Typis JOANNIS PHILIPPI MÜLBII, ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

Anno M. DC. XLII.

SERENISSIMO ATQUE CELSISSIMO

PRINCIPI

Ac Domino,

DN. CHRISTIANO
COMITI PALATINO ad RHENUM,
DUCI BAVARIÆ,
COMITI IN VELDENTZ
ET SPONHEIM &c.

PRINCIPI ac DOMINO SUO Clementiſſimo,

Diſputatione hac Medica
tùm ſe, tùm ſua ſtudia
humilimè commendat.

Paulus Barbette Re

QUÆSTIO I.

Utrum in Variolis & Morbillis locum habeat προφύλαξις?

TRiplex *ſecundum* Galenum *in* μικροτέχνῃ *c.* 99. προφύλαξις *eſt*: I. hominis integrè ſani: *quæ pertinet ad* ὑγιεινὴν *Medicinæ partem*: II. hominis non integrè ſani: *quæ ad* προφυλακτικὴν *illius partem ſpectat,* &, *quemadmodum* Galenus *l.* 6. *tuend. ſan. c.* 11. *loquitur, in-ſtantem morbum declinat,* III. hominis ægrotantis: *quam* Galenus *ad* θεραπευτικὴν *refert*: *ſed iis in morbis, qui vel à* πληθώρᾳ, *vel à* κακοχυμίᾳ *profecti ſunt*: *ut febres putridæ, conti-nuæ, & intermittentes multæ. Scribit namque comm.* 2. *aphor.* 22. *quando morbifica cauſa non adeſt, ſolam* θεραπείαν, *curatio-nem, Medicis relinqui. Ubi verò cauſa quidem adeſt, ſed non-dum actu morbum produxit, cujuſmodi cauſa* πληθώρα *eſſe ſo-let,* προφυλάξει *tantùm opus eſſe. Morbus enim præcavetur, cau-ſa tempeſtivè extirpata. Cùm autem cauſa jam morbum ge-nuit, & cum eo adhuc eſt conjuncta, inquit, Medici actionem quodammodò eſſe ex* προφυλάξει & θεραπείᾳ *mixtam.* προφυλακ-τικὴν *quidem eſſe ratione cauſæ, quam eximit. Nam quod factu-ra erat, inhibetur: nimirùm ne morbus vel evadat gravior & periculoſior: vel ad complementum perducatur.* Θεραπευτικὴν *verò ratione morbi. Hanc enim propriè & ſpecialiter ſumptam præſentis morbi ſublationem eſſe.* Καταχρηστικῶς *verò uſurpatam mixtum quid eſſe ex vera* θεραπείᾳ & προφυλακῇ, *ſtatuit*: *idque diariarum, hecticarum, & putridarum febrium exemplo de-clarat. Etenim, diariarum & hecticarum, quæ non ampliùs à cauſa ſua dependent, propria ac vera eſt* θεράπεια. *Putridarum verò &* θεράπεια *eſt, quæ febres tollit*: & προφυλακή, *quæ cauſas*

extirpat.

extirpat. Ut autem θεράπεια *duplex eſt: una merè & purè* θεράπεια, *quæ, uti dictum, ſolius eſt morbi deſtructio: altera actio ex* θεραπείᾳ & προφυλάξει *compoſita, quæ & morbum aufert, & cauſam ejus evellit: ſic* προφύλαξις *vel ſincerè* προφύλαξις *eſt, quæ futurum, non præſentem morbum reſpicit: vel talis, quæ cum* θεραπείᾳ *copulata eſt, & ad cauſam dirigitur, quæ jam actu ipſa morbum procreavit: ſic docente* Galeno *l.* 11. *meth. med. c.* 2.

Hac προφυλάξεως diſtinctione præmiſſa, *quæritur, an utraque* προφύλαξις *in variolis & morbillis locum habeat: tùm illa, quæ hominibus debetur adhuc in ſanitatis latitudine contentis, morbo nondum præſente, ſed futuro, ni præcaveatur: tùm ea, quæ adhiberi ſolet in morbo jam genito, & homine actu ægrotante?* Avenzoar *reſpondet, variolas & morbillos perinde, ut peſtem, non ſolùm curationem, ſed etiam præſervationem poſtulare: præſertim tùm, cùm aëris vitio graſſantur & contagio ſerpunt. Ejus ſententiæ ſubſcribunt* Vidius *l.* 6. *de curat. generat. c.* 6. Portus *l.* 4. *de peſte c.* 15. Liddelius *l.* 3. *de febrib. c.* 9. *alij: dicuntque, hanc* προφύλαξιν *conſiſtere in eo, ut* vitetur conſortium eorum, *qui ſunt infecti, & qui curam gerunt laborantium:* ut declinetur aër inquinatus, *aut ſaltem corrigatur & melioretur:* ut ſanguinis abundantia minuatur, *ſi vires, ætas, aliæque circumſtantiæ venæ ſectionem permittant:* ut corpus à κακοχυμίᾳ *liberetur:* ut fugiantur cibi *qui fæculentum ſanguinem generant:* ut cauſæ amoveantur *quæ ſanguinem ebullire faciunt: cujuſmodi ſunt res, quæ illum exagitant, & inflammant:* ut ſanguis refrigeretur & incraſſetur, *ne ad cutem fluere pronus ſit atque proclivis:* ut diæta ſit tenuis, *modicéque refrigerans atque adſtringens, quò viſcera roborentur, ne labem facilè contrahant.*

Contrà, negando reſpondet Mercurialis, *aliique complures, qui de* προφυλάξει *futurarum variolarum & morbillorum nihil quicquam ſcriptis reliquerunt: ut* Valeſcus, Nicolaus Florentinus, Guainerius, *&c. ſecuti forſan veſtigia* Avicenæ *qui & ipſe de hac* προφυλάξει *nihil literarum monumentis con-*

ſigna-

ſignavit. *Ratio eſt: quoniam homines à variolis & morbillis præſervari non poſſunt: neque ſi poſſent, tutum foret, ut præſerventur. Itaque* προφύλαξις *fruſtrà tentatur.* Cauſa verò, cur præſervari nequeant? *eſt triplex.* I. *quia variolæ & morbilli fiunt ex neceſſitate quadam naturæ. Habent enim cauſam nobis congenitam, ut ex diſputatione quarta liquet. At cujus cauſa congenita nobis eſt, nulla arte præcaveri poteſt.* II. *quia fiunt bona naturæ intentione, ſtudentis evacuare impuritates à menſtruo relictas, & quidem per modum* κρίσεως: *quæ ſuo in officio minimè impedienda: imò potiùs juvanda & promovenda, ſi ſat virium ad expurgationem non habeat.* III. *quia illæ ætates, quæ omnium maximè hac* προφυλάξει *egent, infantilis & puerilis, vim prophylacticorum remediorum, vacuantium maximè, ſuſtinere nequeunt.*

Experientia *inſuper docet, homines, præcipuè verò infantes ac pueros, quantumvis præſerventur, & à* συνουσίᾳ καὶ ὁμιλίᾳ *eorum, qui vel ægros tractant, vel jam actu decumbunt, removeantur, nihilominùs variolis & morbillis impeti. Cauſa verò, cur tutum non ſit, ut homines præſerventur, eſt, quoniam natura in eruptione variolarum & morbillorum malum à bono ſeparat, atque expellit.* I*deóque hic illius conatus haud eſt arcendus.* II. *quia ſi maximè præſervare poſſemus infantes & pueros, tamen cùm fermentum & inquinamentum illud menſtruum arte ſit inextirpabile, ſemperque maneat, tandem in adulta demùm ætate variolæ prodirent: in qua tamen videntur pejores, quàm in prima: eò quòd habitus corporis non ita ſit mollis, rarus & laxus, ut erat in ætate tenella. Quare neque variolæ ita facilè egrediuntur.*

Noſtra ſententia eſt, *ſpeciali, ſive particulari opus eſſe* προφυλάξει *certorum quorundam membrorum, v. g. oculorum, narium, faucium, aſperæ arteriæ, pulmonū, inteſtinorum &c. ne, cùm uſus eorum ſummè ſit neceſſarius, variolis facilè petantur. Et hanc quoque omnes Practici etiam atque etiam ſibi habuerunt commendatam. Eſt quoque poſſibilis: velut experien-*

tia docet, & ratio ſuadet. I*nſtituitur enim per adſtringentia, quæ poros conſtringunt, & naturam roborant, ut alienam materiam non facilè admittant.* Generalem *autem* προφύλαξιν, *qua corpus in ſolidum à variolis & morbillis immune reddatur, vanam & irritam eſſe credimus, ob rationes ſupra allatas. Aliquam tamen, etiam generalem* προφύλαξιν *inſtitui debere arbitramur: non eum in finem, ut à variolis & morbillis prorſus liberi ſimus: (hoc enim eſt* ἀδύνατον*) ſed ut ſanguinis copia, minuta, cacochymo corpore purgato, natura bona diæta roborata, cauſis, quæ ebullitionem ſanguinis fovent & augent, vitatis, variolæ & morbilli minus ſint graves, minuſque periculoſi. Opus igitur* προφυλάξει, *& in jam decumbentibus: & in iis, qui nondum in variolas inciderunt.*

II.

Quæ curandi ratio in Variolis & Morbillis ſit obſervanda?

Quam ſervare deceat medendi methodum, diſputatione 2. quæſtione 2. & 3. incidenter, & pro re nata indicatum fuit. Nititur enim illa, ut quævis alia dogmatica & rationalis cura, indicationibus. Hæ enim dogmaticum Medicum ab empirico diſtinguunt. Sumuntur autem à tribus indicantibus, Morbo, Cauſa morbi, & Virtute; illa cumprimis, quæ cordis eſt, & vitalis nuncupatur. Quare omnia indicata ad iſta indicantia dirigenda ſunt. Quodſi ſymptomata quædam vehementer urgeant, illis quoque occurrendum: non quidem quatenus ſymptomata ſunt, ſed quatenus cauſarum rationem induerunt: earum potiſſimùm, quæ vires deÿcere ſolent. Quapropter quædam facienda ante variolarum & morbillorum eruptionem: nonnulla in eruptione ipſa: aliqua demùm poſt illam.

Ante eruptionem *habenda ratio cauſarum & febris, quæ σύνοχος eſt, eaq; vel putrida, vel putredinis expers: ut ſcil.* πληθώραν, *ſi adſit, tollamus:* κακοχυμίαν, *ſi & ipſa ſe offerat, eximamus: &*

fervo-

fervorem atque ebullitionem ſanguinis, ſi enormior ſit, quodammodò ſedemus ac compeſcamus.

In eruptione *danda opera, ut naturam in expulſione juvemus, ſi non ſat expellere videatur: humores incidamus & attenuemus, ſi ſint craſſiores, & ad motum pigri atque ignavi: vias aperiamus, ſi ſint occluſæ: cutem rarefaciamus, ejuſque poros reſeremus, ſi cutis denſior adſtrictiorque fuerit: vires roboremus, ſi ſint languidæ: & malignitatem, ſi adſit, bezoarticis & alexipharmacis caſtigemus & obtundamus: partes quaſdam, quarum uſus ſummè neceſſarius eſt, & quas variolæ frequenter occupare ſolent, niſi* προφύλαξις *inſtituatur, præſervemus, eaſque à variolis liberas atque immunes, quo ad ejus fieri poteſt, reddamus: gravioribus denique ſymptomatibus, quorum tamen quædam etiam poſt eruptionem affligere ſolent, obviam eamus: ut ſunt deliria, vigiliæ, atroces capitis dolores, convulſiones, hæmorrhagia narium, dolor faucium, & deglutiendi difficultas, oris ſiccitas, vomitio crebra & violenta, ſitis inexpleta,* παλμὸς *cordis, diarrhœa, dyſenteria, & ſimilia alia.*

Poſt eruptionem *curandum, ne variolæ ampliùs retrocedant, ſed ut perſeverent, perveniantque ad juſtam magnitudinem: ut ſuppuratio earum, ſi duræ crudæque diutiùs permanſerint, promoveatur: ut ſuppuratæ tempeſtivè aperiantur, ne pus diutiùs inibi retineatur, & acrimoniam acquirat, eaque partes corrodat: ut ulcera, ſi quæ derelicta ſint, ſanentur: cruſtæ emolliantur & abſcedant: vitioſus color, faciei potiſſimùm, deleatur: fœdæ cicatrices auferantur: & foveæ atque veſtigia obliterentur. Horum enim poſteriorum affectuum cauſa, virgines maximè & fœminæ, quæ ſtatus ſunt eminentioris, Medicorum opem anxiè atque ſollicitè implorare ſolent.*

III.

Liceatné in Variolis & Morbillis ſanguinem mittere?

De venæ

De venæ ſectione non multùm ſollicitos eſſe Medicos videmus: quia variolæ & morbilli utplurimùm infantes & pueros adoriuntur, qui ſanguinis miſsionem minimè ferunt. Quæritur tamen, an illa opis aliquid & auxilij adferat, ſi adminiſtretur, ætate & viribus eam permittentibus. Reſpondemus omninò. Verùm adminiſtranda ante diem tertium, vel quartum, priuſquam variolæ & morbilli appareant. Hoc enim conſilium eſt omnium Pragmaticorum, qui ducem ſequuntur Avicennam. *Nam ſi ſanguis mitteretur apparentibus jam hiſce exanthematibus, naturæ motus impediretur, & ſanguis, qui abire deberet ad cutem, revocaretur denuò ad venas, è quibus tamen à natura fuit ejectus. Cur autem venæ ſectio ante apparitionem horum affectuum locum habeat, ratio eſt, quoniam illius indicans ſe offert, præſertim in corporibus calidis & humidis, quæ ſunt ſanguinea. Eſt autem illud indicans vitium ſanguinis, qui adhuc continetur in vaſis: & quidem in ſynocho putrida triplex: in ſubſtantia, quia, putrefactus eſt ſanguis: in quantitate, quia abundat; ea maximè in plethora, quæ dicitur ad vaſa: denique in qualitate, quoniam bullit & fervet. In ſynocho verò non putrida duplex: unum in quantitate: alterum in qualitate. Hæ enim febres adeſſe variolis ſolent. In utraque autem præſentaneum remedium eſt ſanguinis miſsio: quemadmodum* Galenus *l.9. meth. med. c.4. docet.* Nam niſi vena tunderetur, *febris augmentum caperet, & ſymptomata, præſertim laſsitudo tenſiva, gravitas corporis & capitis, deliria, vigiliæ, inquietudo, ſpirandi difficultas, &c. invaleſcerent: periculum immineret in corporibus valdè plethoricis, vel extinctionis caloris: vel ruptionis vaſorum: vel inflammationis alicujus viſceris: ebullitio quoque eſſet enormior.* Deinde *nimia ſanguinis copia natura gravaretur: forſan etiam planè ſuccumberet, nec materiam ad cutem fortiter & maſculè propelleret. Sarcina autem, qua premebatur, levata. quod reliquum eſt, faciliùs vincit.* Tertiò, *viæ, per quas fit expulſio, occludi & præpediri poſſent, ob redundantiam ſanguinis.*

rum demolitur: vel quandam κακοήθειαν, *malignitatem, quæ cor præcipuè ferire ſolet.*

LEIPOTHYMIA, ſive LEIPOPSYCHIA, animi deliquium, aliquando ſuboriri conſuevit, eaſdem ob cauſas. Frequenter verò ob vitalium ſpirituum exolutionem. Exolvuntur autem calore febrili, vigiliis, inedia, aut quadam ventriculi orificij, quod καρδίαν *veteres nuncupabant, affectione graviore: uti fieri in* καρδιαλγία *&* καρδιωγμῷ *experimur.*

NAVSEA inane vomendi eſt deſiderium, quo nihil ferè eijcitur. Sæpè tamen ſponte nulloque conatu aqua pellucida profluit ab ore.

VOMITIO eſt eorum, quæ in ventriculi cavitate continentur, ſurſum facta rejectio. Eadem utriuſque affectus eſt cauſa: ſed in nauſea levior: in vomitione gravior. Fit autem uterque potiſſimùm in principio variolarum & morbillorum, ob commotionem & agitationem humorum, & ſanguinis ebullitionem, tetroſque halitus, miſſos tùm ad partes alias, tùm etiam ad ventriculum, & cumprimis ad orificium ejus, quod valdè ſenſile.

SINGVLTVS, λυγμὸς, *convulſivus eſt ventriculi motus, quo quæ tunicis illius impacta ſunt, penitúſque inſederunt, excutere conatur. Rarum quidem ſymptoma eſt in variolis: obſervatur tamen in quibuſdam, non ſecùs ac in peſte & febribus malignis, cùm vapor humorve malignus in ventriculi tunicas, ejuſve orificium ſeſe infixit, quem vis illius expultrix hoc motu, convulſivo* ἀναλόγῳ, *ejicere ſatagit.*

STERNVTATIO, πταρμὸς, *cauſam habet acres mordaceſque vapores cerebrum ferientes. Elevantur autem à partibus ſubjectis, vaſis præcipuè, in quibus ſanguis fervet & bullit. Vt enim, inquit* Galenus *comm. 7. aphor. 51. per tuſſim excernuntur illa, quæ bronchiis pulmonum inhærent: ſic per ſternutationem evacuari ea conſueverunt per nares, quæ cerebrum mordent atque vellicant.*

TUSSIS *vel ſicca eſt, vel humida. Illa cauſam habet*

acres fervidoſque halitus, partes ſpiritales ad exeretionem ſollicitantes; vel etiam variolas pulmones occupantes: quæ tamen tuſſis non ante, ſed demùm poſt eruptionem variolarum in quibuſdam obſervatur. Hæc cauſam agnoſcit catarrhum à capite factum. Natura enim nititur vehementi ſpiritus efflatione, ejuſque erumpentis impetu, quicquid acrimonia, aut obſtructione moleſtum eſt, extundere. Quod quidem ſi ſit tenue admodùm, tuſſiendo difficulter reÿcitur: quoniam occurrentis ſpiritus vehementia repulſum & ſublevatum mox diſrumpitur, inque pulmones relabitur. Sin nimis ſit craſſum lentumque, expellitur ægriùs: quia ſpiritus vi nec abſtergi, nec dimoveri, nec ſurſum facilè efferri poteſt.

RUBOR FACIEI ET OCULORUM *oritur à calore & abundantia ſanguinis ebullientis, fervidiſque vaporibus ad faciem ablegatis: à quibus cauſis etiam facies tota in multis progreſſu temporis intumeſcit.*

ORIS SICCITAS *fit ab æſtu febrili, & à calida acrique exhalatione, in fauces, in os, & in palatum ſublata. Cujus in febribus ardentibus plerunque tanta vis eſt, ut linguam ſcabritie exaſperet: nonnunquam & hanc diffindat: quod vitium, præſertim ſi nigredo acceſſerit linguæ, noſtrates* die Bräune *appellant: & de quo Barbitonſores tantoperè ſolliciti eſſe ſolent: quamvis accidens tantùm ſit, urentē calorem comitari ſolitum. Rectè tamen faciunt, quòd humectando refrigerandoq; illi occurrant: quoniam & locutionem, & ciborum ac potuum, medicamentorumq; deglutitionem impedit.*

MACULÆ RUBENTES πελιδνὰ *ſunt erumpentium variolarum & morbillorum, ſigna, quæ nunquam fallunt. Apparere autem ſolent primùm in cute faciei: quoniam hæc videtur omnium eſſe tenerrima & tenuiſſima: poſteà etiā in pectore & dorſo: quoniā hæ partes loco, in quo præcipuè ſanguinis effervescentia, vaſis ſcil. grandioribus, aſcendentibus & deſcendentibus, venæ cavæ & aortæ truncis, eorumq; propaginibus inſignioribus, ſunt vicinæ.*

SPUTAMINA CRASSIUSCULA *proveniunt à*

ſervore febrili, qui tenuem & aquoſam ſubſtantiam reſolvit: *à quo* Galenus *comm.* 4. *aphor.* 53. *etiam lentorem, qui per febres circa dentes obnaſcitur, proficiſci ſcribit. Non enim poſſunt, ait, ejuſmodi lentores ſine caloris abundantia, pituitoſam humiditatem exiccante, naſci.*

LACHRYMÆ *ex oculis ſponte, ſine manifeſta cauſa, v. g. à rebus acribus & mordicantibus, frigore item, aut triſti aliquo nuncio, effluentes, ortum ducunt: vel à defluxione humoris à febrili calore fuſi quaſi atque liquati: vel ab acrimonia halituum, ſenſiles oculorum tunicas pungentium. Nam quæ oculos acrimonia mordent & vellicat, lachrymas exprimere ſolent: ut exemplo ceparum, porrorum, raphani marini, allij, piperis &c. doceri poteſt. Eſt ſymptoma iſtud in principio horum affectuum valdè frequens, præſertim in iis, qui naturæ ſunt calidioris, & quibus eſt ſanguis bilioſus.*

SANGUINIS *è naribus profluvium ſimiliter ſæpenumerò accidit per hos affectus puerulis. Cauſa illius eſt vel copia vaſorum orificia dilatans: vel qualitas calida, acris & tenuis, quæ itidem eadem recludit. Calidus autem per ſe ſanguis eſt in puerili ætate: ſed calor augetur propter febrim & effervescentiam ſanguinis.*

URINÆ *ſunt utplurimùm naturalibus ſimiles: quoniam noxia materia ex venis ad cutem propellitur, non ad urinæ meatus. Aliquando tamen, ut in* συνόχῳ *putrida, craſſæ ſunt, turbidæ, & impuræ: tùm propter præſentiam ſimilis materiei, tùm etiam propter agitationem & confuſionem humorum, quam ebullitio cauſare ſolet. Tales quoque urinæ cerni ſolent in iis, qui ob vocacitatem magnam crudorum humorum copiam collegerunt.*

Priuſquam ad novi problematis deciſionem accedamus, *tria obſervanda cenſemus*

I. *Quòd ſigna tradita non omnia in omnibus: ſed in his plura, in aliis pauciora animadvertantur: nimirùm pro quantitatis, qualitatis, & ſitus materiei morbificæ ratione.*

 II. *Quòd*

II. *Quòd eadem ſigna in aliis ſint evidentiora illuſtrioraque: in aliis obſcuriora, remiſſiora, ac leviora. Cauſa eſt, quoniam materia in quantitate & qualitate variare conſuevit. Intenſiora ſunt, quò materia eſt copioſior, calidior & acrior. Remiſſiora verò, quò eadem parcior, craſſior, & in calore remiſſior exiſtit.*

III. *Quòd, quemadmodum* Avicenna l. 4 fen. 1. tract. 4. c. 8. *docet, ſigna apparitionis morbillorum proxima ſint ſignis variolarum. Differentia ſolùm ſit in eo, quoniam lachrymæ in morbillis ſunt largiores: anguſtia pectoris major: inflammatio vehementior: dolor dorſi minor: & eruptio, ſive apparitio maturior. Citiùs enim morbilli erumpunt: tardiùs variolæ.* Cauſa uberiorum lachrymarum *eſt acrimonia vaporum oculos vellicantium intenſior. Scribit enim* Avicenna, *differre variolas & morbillos penes materiam: quæ quidem in genere una eſt in utroque affectu: in ſpecie autem nequaquam. Variolæ quippe fiunt ex multo ſanguine corrupto: morbilli ex cholerico & pauco: qui tamen & ipſe non ſolùm corruptus eſt, ſed etiam majorem in ſe malitiam habet.* Cauſa, cur anguſtia pectoris in morbillis ſit major, *& inflammatio vehementior, eſt, quia materia eſt calidior & acutior, cùm ſit bilioſa.* Cauſa, cur dorſi & lumborum dolor *tenſivus in morbillis ſit tolerabilior, eſt, quoniam ſanguis eſt paucior & ſubtilior. Ideóq; venam cavam & aortam ſecundum dorſi & lumborum longitudinem deſcendentem, minùs diſtendit, parteſq; vicinas minùs divellit, quàm in variolis, quarum ſanguis eſt copioſior & craſſior.* Cauſa cur morbilli citiùs exeant *atque appareant, quàm variolæ, eſt, quia materia morbillorum ſubtilior eſt & calidior, adeóque ad motum & exitum paratior atque promptior. Variolarum materia contrario modo ſe habet. Ideóque & tardiùs egrediuntur.*

IV. *Quòd variolæ ſequentem in modum exeant, & ſub ſequentibus formis ſeſe conſpiciendas offerant.* Die prima *natura irritatur & ſtimulatur à cauſa vel interna, vel externa*

ad ex-

ad expulſionem. Secunda, *fit ebullitio ſanguinis, qua ſeparatur malum à bono.* Tertia, quartave, *expulſio vitioſi ſanguinis actu inſtituitur: unde maculæ rubræ viſuntur: primùm quidem exiles & obſcuræ: poſteà verò evidentiores majoreſque.* Quinta *maculæ iſtæ leviter eminent, adeò ut grana milij excorticati, aut capitula acuum, vel formicarum, quo ad magnitudinem, repræſentent.* Sexta, ſeptima, octava, & nona *magis magiſque augentur, & ad perfectam magnitudinem perveniunt.* Decima & undecima *ſuppurantur, molliores que & albidiores evadunt.* Duodecima *pus & ſanies effluit, vel ſponte, vel cùm aperiuntur.* Reliquis diebus, *donec tertius præterierit ſeptenarius, exiccantur, & vertuntur in cruſtas: quæ tandem vel ſponte decidunt: vel avelluntur unguibus.* Ultimò, *cruſtis ablatis, remanent maculæ: in quibuſdam etiam veſtigia, foveæ, & deformes cicatrices, quæ vix ac ne vix quidem aboleri poſſunt.*

II.

Quæ ſint ſigna Variolarum & Morbillorum prognoſtica?

Prognoſticis variolarum & morbillorum ſignis præmittemus problemata quatuor: I. quæ præcipuè corpora variolis ſint obnoxia? II. quæ corporis partes? III. quæ potiſſimùm ætates? IV. quibus temporibus anni maximè graſſentur? Poſteà prognoſtica ipſa proponemus.

Ad primùm reſpondetur *ex* Avicennæ *l. 4. Can. fen.* 1. *tr. 4. c. 6. calida & humida corpora, quæ multo ſanguine abundant, habituque corporis ſunt molli, laxo, raro atque aperto, variolis præ cæteris omnibus eſſe obnoxia: quia materia earum, ſanguis, in quantitate largiore ſe offert, quàm in aliis complexionibus: & faciliùs etiam, per illorum cutem exit, quæ laxa eſt & mollis: denique promptè accenditur & fervet, ſi ebullitionis cauſa adfuerit. Hinc videmus, infantes & pueros variolis & mor-*

morbillis magis infeſtari, quàm ætates reliquas: quoniam & ſanguine abundant: & corporis habitu molli, raro atque aperto ſunt præditi: & ebullitionem atque efferveſcentiam ſanguinis haud difficulter incurrunt: & calore pollent: & expultricem habent validam.

Morbillis autem ea præcipuè corpora affliguntur, quæ bilioſo ſunt ſanguine referta: quoniam hic illorum eſt materia. Poſſumus autem per morbillos inaudire non tantùm morbillos propriè & in ſpecie dictos, h. e. rubeolas, ſive roſalia: ſed etiam variolas minores, quæ acutæ & fervidæ. Nam ex tenui præcalidoque ſanguine gignuntur.

Ad ſecundum. *Avicenna docet loco citato, variolas non tantùm fieri in cute, & partibus ſubcutaneis: ſed etiam in internis omnibus. Experientia tamen docet, fieri eas utplurimùm foris: intus rarò. Quodſi in utriſque contingant partibus, vel æqualiter, vel inæqualiter eas infeſtant. Accidit enim, ut copioſæ ſint utrobique. Evenit etiam, ut copioſiores ſint intus, pauciores foris: & contrà, intus paucæ, foris multæ. Externæ ad ſui διάγνωσιν nullis egēt indiciis. Internæ ex ſymptomatibus & læſis actionibus innoteſcunt. Quando exteriores ſolummodò partes inficiunt, melius eſt, quàm ſi interiores. I. quia exteriores minoris ſunt momenti, ignobiliores, & ad vitam minùs neceſſariæ, quàm internæ. II. quia indicant, naturam iis eſſe viribus inſtructam, ut materiam variolarum totam ad cutem propellere valeat. III. quia ſignificant, materiam eſſe ſequacem, & vias liberas. IV. quia ægri levioribus exercentur ſymptomatibus. Cùm verò internas partes occupant, argumento ſunt, naturam præ virium infirmitate omnem earum materiam extrudere non poſſe. Indicio quoque ſunt materiam eſſe rebellem & contumacē: vel vias eſſe præpeditas vel habitum corporis denſiorem compactioremque, quàm ut materiam in ſe ſuſcipere queat: vel tantam eſſe materiei copiam ut ſat ſpatij in cute non habeat. Portio igitur illius manet intus, & ſimilem affectum inibi parit. Inter extimas autem par-*

te

tes præcipuè facies & artus inquinantur: I. quia hæ partes vaſa habent numeroſa. Ideóque materia ad illas ubertim derivari poteſt. II. quia partes exteriores ſunt ignobiliores. Solet, autem natura, præſertim quando agit κριτικῶς, ut in variolis & morbillis agere cõſuevit, ſuperfluitates ad ejuſmodi partes ablegare. III. quia artus propter nervoſam, mẽbranoſam, & tendinoſam naturã exquiſitè ſentiunt. Variolis ergò afflicti, præſertim fervidioribus, vehementer dolent: qui illorum dolor cauſa eſt, ut nova ſemper materia accurrat. Facies variolas facilè excipit, non ſolùm quia vaſa habet multa, & quia foris ſita: ſed etiam quia tenuis ejus eſt cutis atque rara.

Ad tertium. *Quæ ætas maximè variolis & morbillis obvia ſit, omnibus notum eſt: & ex dictis ſatis conſtat. Prona autem & proclivis in iſtos affectus eſt infantia & pueritia: deinde adoleſcentia & juventus: tùm virilis & ſenilis ætas: ſic docente* Avicenna *loco, qui antè allegatus. Cauſa patet ex iis, quæ ſæpiùs in medium prolata. Nam infantes & pueri primordiis generationis ſuæ ſunt vicini: ita ut impuritas menſtrualis adhùc recens ſit, & conſequenter ſatis efficax. Abundant inſuper hæ ætates ſanguine: qui in illis facilè ad ebullitionem incitatur: eſtque corpus earum molle, laxum, & patens: vis denique expultrix valida atque robuſta: id quod inde liquet, quoniam infantibus atque puerulis & vomitiones, & aurium humiditates, & alvi profluvia, & puſtulæ atque tubercula, & ſanguinis ex naribus fluxiones, & verrucæ contingere ſolent: quemadmodum* Hippocrates *ſect. 3. aphor. 24. 25. 26. & 27. ſcriptum reliquit. Ut nihil jam de ſcabie, manantibus capitis ulceribus, cruſta lactea, favis, achoribus, tinea &c. dicamus. In cæteris ætatibus hæ cauſæ non ita ſunt potentes. Utuntur quoque infantes lacte & lacticiniis: quæ vel ipſa non uſque adeò probæ notæ ſunt: vel in ventriculo facilè corrumpuntur.*

Ad quartum. *Graſſari cumprimis variolæ ſolent juxta* Avicennam *tempore verno. Hoc enim ebullitioni ſanguinis dicitur accommodatum: & in illo ſanguis luxuriat: eſtque cor-*

pus

pus ob aëris tepiditatẽ apertum: humores quaſi fuſi & liquati: natura denique propter caloris, ſpirituum & ſanguinis copiam, fortis: & ſolet aliàs etiam τὸ βάθος τοῦ σώματος, ut Galenus *loquitur, profundum corporis expurgare, adeò ut plurima cutis vitia tum temporis ſecundum* Hippocratis *doctrinam aphor. 20. ſect. 1. oboriantur: v. g. lepræ, impetigines, vitiligines, puſtulæ ulceroſæ, quas ἐξανθήσιας vocat, & tubercula, quæ φύματα appellat. Poſt Ver variolæ frequenter homines adoriuntur in Autumno: quia eo tempore corpora vitioſis ſcatent humoribus, ob fructuum horæorum eſum largiorem & crebriorem: ob cruditates prægreſſa æſtate ex frequenti potu, olerum, acetariorum & fructuum ingurgitatione, nativi item caloris infirmitate, collectas. A refrigerante enim victu, cui plerique omnes tempore æſtatis dant operam, calor obtunditur: imò etiam patefactis ab ambientis aëris caliditate poris foràs evocatur. Nam κακοχυμίαν inter cauſas generales, & pravum victum inter cauſas externas variolarum diſputatione quarta retulimus. Hùc accedit, quòd* Hippocrates *aphor. 9. ſect. 3. ſcribit, Autumno in univerſum ὀξυτάτους καὶ θανατωδεστάτους, acutiſsimos & pernicioſiſsimos morbos regnare: nimirùm propter cauſas jam commemoratas; itemque propter naturæ infirmitatem, quæ præcedente æſtate multas paſſa injurias: & propter conſtitutionem ejus inæqualem, quæ pravorum humorum cauſa exiſtit. Eadem enim die, inquit* Galenus in comm. *aliquando calor, aliquando frigus viget. Adde quòd autumnali tempore humores ab aeris frigiditate retrudi, atque ad interiora impelli incipiant, qui priùs movebantur ad cutem, & diſflabant, ac ventilabantur.*

Quod ſi vernales cum autumnalibus conferantur, videntur illæ minùs periculoſæ eſſe: quoniam tempore verno natura eſt robuſtior, ob ſpirituum & caloris copiam, & corpus minùs κακόχυμον.

Experientia tamen fecit teſtatum, etiam hyeme rigidiſsima & nivoſa variolas mirum in modum ſuam exercuiſſe ſævitiam

vitiam: idque vitio aeris malignè infecti: quemadmodum Au-
genius *l.9. febr. c. ult. ſcribit, accidiſſe Anno* 1572. *in Piceno, ſive regione Italiæ Tranſapenina, quæ hodiè Marchia Anconitana vocatur. Tanto quippe furore debacchatæ ſunt, ut nulli pepercerint ætati.* Idem ibid. *notat, etiam in Cingulanis Anno eodem ex maligna cœli conſtitutione adeò ſæviiſſe, ut quotidiè ſupra* 300. *cujuslibet ſexus & ætatis homines decubuerint. Cœpiſſe verò luem hanc menſe Decembri: crudeliſſimam fuiſſe menſe Martio: remiſiſſe in æſtate: mitiorem adhùc factam in autumno: nova adveniente hyeme prorsùs ceſsâſſe.*

III.

Quæ ergò ſint ſigna bonarum & malarum Variolarum?

Bonæ ſunt variolæ, & ratione eventus ſalutares,

I. Quæ citò, die ſcil. tertio, aut quarto exeunt. Ratio eſt: quoniam denotant naturæ robur: materiæ obedientiam: & viarum liberum tranſitum.

II. Quæ perſeverant, non retrocedunt atque diſparent. Remeantes enim, & ſine manifeſta, eaque externa cauſa, foris evaneſcentes, leipothymiam, & ſyncopen cauſant: præſertim ſi materia ſit maligna.

III. Quæ tempeſtivè maturantur. Signum enim hoc eſt materiæ mitioris benignioriſq; & vincentis caloris nativi.

IV. Quæ externas occupant partes. Argumento namque ſunt, & naturam eſſe validam: & materiam ſequacem: & vias apertas.

V. Quæ paucæ: quoniam paucitatis vitioſæ materiæ indicia exiſtunt: & æger brevi convaleſcit: niſi erretur vel in victu, vel in pharmacia.

VI. Quæ contiguæ, non continuæ, nec ita copioſæ, ut altera alteri inſideat, & tandem cruſtam faciat magnam atque amplam. Hæ enim copiam inſignem peccantis materiæ

C oſten-

oſtendunt : & ulcera atque veſtigia poſt ſe incurabilia relinquunt.

VII. Quæ ſuprà albæ: infrà in baſi rubræ. Tales enim materiæ bonæ ſunt ſigna.

VIII. Quas febris antecedit, non ſequitur. Illa enim primaria eſt, & erumpētibus variolis plurimùm miteſcit. Quæ verò ſequitur, ſymptomatica eſt, & aut oboritur, variolis interiora petentibus : aut generatur, cùm remeantes partem aliquam læſerunt.

IX. Quibus adeſt virium robur, appetitus bonus, facilis & libera reſpiratio, vox integra, ſomnus placidus, ratio conſtans, ſenſus ſani, alvus laxa, ſive aperta: & quibus apparentibus, febris & ſymptomata omnia miteſcunt. Significant enim, naturam ſuperiores & victrices obtinere partes, debellare vim mali, & noxiam materiam ad exteriora ablegâſſe ſufficienter. Febris & ſymptomatum remiſſio, ſive moderatio, tùm in eruptione, tùm antè, ſalutem pollicentur : quoniam putredinis levitatem, & naturæ vigorem arguit.

Malæ verò ſunt, ſæpè etiam lethales,

I. Quæ exeunt tardè. Notant enim vel expellentis naturæ debilitatem: vel materiæ malitiam, forſan & craſſitiem a viſcoſitatem: vel viarum occluſionem: vel cutis denſitatem.

II. Quæ ſine manifeſta cauſa, quæ illas repercutiat, v facere aër frigidus, & omnia topica refrigerantia ſolent, eva neſcunt. Innuunt enim infirmitatem naturæ, non continu expellentis peccantē humorem, ſed illum remeare ſinentis. Forſan etiam in cauſâ eſt urens intus calor, qui materiam inſta alicujus cucurbitulæ ad interiora trahit. Hoc enim ejuſmod facere calorē, teſtis eſt locupletiſſimus Galenus noſter comm. 7 aphor. 1 *inquiens, cùm calor inflammationis interiorum viſce rum vehemens fuerit admodùm, ſanguinem ex toto corpore i modum cucurbitulæ ad ſe trahit : hinc fit, ut viſcera peruran tur: extremæ autem partes frigeant, propter defectum ſanguinis ad viſcera ſe recipientis.*

Qu

III. *Quæ occupant partes internas: quoniam indigitant, vel materiam adeò eſſe copioſam, ut tota ad cutem amandari nequeat: vel naturam ita enervatam, ut illam ſufficienter & integrè expellere eò non poſſit.*

IV. *Quæ continuæ, copioſæ, & magnæ: quoniam materiei ubertatem inſignem inſinuant.*

V. *Quæ virides, violaceæ, lividæ, plumbeæ, nigricantes, quoniam indices ſunt* κακοηθείας *& venenoſitatis: materiei aut humorum aduſtionis: aut* νεκρώσεως *caloris nativi. Eò deteriores, inquit* Avicenna, *quò nigriores.*

VI. *Quæ duræ & inſuppurabiles inſtar verrucarum. Signa quippe ſunt materiæ contumacis atque rebellis.*

VII. *Quæ adjuncta habent gravia ſymptomata: v. g. vigilias, deliria, convulſiones, veternum, diſpnœam, raucedinem, difficultatem locutionis & deglutitionis, palpitationem cordis, virium infirmitatem, leipothymiam, ſyncopen, tuſſim, anginam, nauſeam, vomitionẽ, ſitim inexhauſtam, diarrhœam, dyſenteriam, mictionem cruentam, quam ſequitur nigra, jectigationem, ſive inquietudinem corporis ſummã, cacochymiam, refrigerationem extremorum, petechias nigras, medietati variolarum inſidentes. Hæc enim ſymptomata provenire ſolent à materia maligna, tetris halitibus, igneo calore, repletione pectoris, & pulmonis, phlegmone faucium, thoracis partibus à variolis obſeſſis, materia aliò, non ad cutem ablegata, v. g. ad renes, ventriculum, inteſtina: non omnia quidem à cauſis omnibus: ſed quædam ab hac, quædam ab illa cauſa. Videatur* Avicenna l. 4. Can. fen. 1. tract. 4. c. 6. & 9. *ex quibus pleraque hæcce* προγνωστικὰ *ſunt deprompta.*

VIII. *Quæ oculos infeſtant: quoniam ophthalmiam, maculas, ungues, ſive pelliculas, ſuffuſionem, quam Græci* ὑπόχυσιν *appellant, denique cæcitatem omnimodam inducunt. Obſervatum quoque, corroſas fuiſſe oculorum tunicas à pure variolarum acri: effluxiſſe poſteà humores, & palpebras in ſe collapſas eſſe.*

IX. Quæ nares obſident. Nam & reſpiratio læditur: & loquela deformatur: & olfactus periclitatur: & metus eſt, ne ulcera inibi generentur curatu difficilia.

X. Quæ fauces & guttur, ſive aſperam arteriam, occupant: quoniam non ſolùm deglutitio, reſpiratio, & locutio impeditur: ſed etiam angina quandoque oboritur, quæ hominem ſtrangulare poteſt.

XI. Quæ pulmonibus inhærent: quia tuſſim, vigiliarum genitricem, & difficultatem ſpirandi excitant ſummam: & φθίσιν tandem pariunt: pulmonum ſubſtantia ab acrimonia puris earum exulcerata.

XII. Quæ inſunt inteſtinis. Nam & hæc purulenta illarum materia corrodere, & dyſenteriam, aut teneſmum producere ſolet.

XIII. Quæ renibus impreſſæ: quia & horum ſubſtantiam exedere queunt: unde ſanguinolenta mictio oboritur: tandem etiam ſtranguria ſubſequitur, renibus ſuppuratis. Hippocrates enim hujus affectus tres cauſas ponit, aphor. 58. ſ. 5. recti inteſtini & uteri inflammationem, & renes ἐμπύους, purulentos. Pus enim, inquit Galenus in comment. *per veſicam evacuatur: ſuique acredine veſicam mordens, ad excretionem illam ſtimulat, facitque, ut urina guttatim ſtillatimque reddatur.*

XIV. Quarum febris aliaque ſymptomata perſeverant poſt eruptionem. Portendunt enim putredinem internam: & produnt naturæ infirmitatem, quæ totam ſentinam expurgare non potuit.

MAN-

MANTISSÆ, SIVE ἘΠΙΣΑΓΜΑΤΑ, *hoc eſt, Auctaria & Addita-menta.*

I.

Cur morbilli minùs ſint contagioſi, quàm variolæ? *I. quia materia eorum ſubtilior eſt, quàm variolarum: celeriúſque exhalat, nec ita aliis corporibus adhæret. II. quia non ſuppurantur, ſicuti variolæ. Variolæ autem tùm maximè contactu inficiunt, cùm in pus vertuntur.*

II.

An qui nunquam paſſi ſunt variolas, leproſi fiant? *Vix adducimur, ut ajentem tueamur. I. quia extant exempla illorum, qui immunes fuerunt à variolis, & tamen à lepra præſervati: II. quia lepræ longè alia cauſa eſt, quàm variolarum. Eſt quippe venenata: qualis variolarum non eſt, ſi de originali & principali illarum cauſa loquamur.*

III.

Cur variolæ ſub variis conſpiciantur coloribus? *In cauſa eſt ſanguinis varietas: qui vel eſt pituitoſus, vel bilioſus, vel melancholicus, vel ſeroſus.*

IV.

Cur Auſtrina conſtitutio, ſi diutiùs perſeverârit, homines ad variolas diſponat? *Quia putredinis eſt genitrix: ſanguinis corruptrix: & ebullitionis in ſanguine excitatrix.*

V.

Cur manuum pedumque variolæ omnium doleant maximè? *Quia hæ partes propter nervoſam, tendinoſam, membranoſamque ſubſtantiam exquiſitè ſentiunt.*

VI.

Cur Avicenna dicat, variolas magis lædere oculos, quàm morbillos? *An quia materia morbillorum tenuis eſt & evaporabilis: variolarum autem craßior? Ex quo illa oculos lædit minùs, quia evaneſcit citiùs. Hæc eos offendit graviùs: quoniam adhæret diutiùs.*

VII.

An omnia ἐξανθήματα nigra lethalia ſint? *Negatur. Videatur Galenus l.5. meth. med. c.12. qui diſp.2. quæſt.16. allegatus. Diſtinguendum autem eſt diligenter. Nam ſi fiant ob caloris* νέκρωσιν, *aut aduſtionem & aſſationem materiæ, aut ejuſdem venenoſitatem, funeſta ſunt. Si verò talia appareant, quòd natura aduſti ſanguinis reliquias, & veluti cineres humorum ad cutem expulerit, exitioſa non ſunt. Talia erant illa Galeni, de quibus loco allegato.*

VIII.

An neceſſe ſit, ut, quemadmodum plerique omnes variolis corripiuntur, ſic quoque morbillis omnes laborare teneantur? *Non eſt neceſſarium, ut teſtatur experientia. Nam ſi labes menſtrualis una vice per variolas exhauriatur totaliter, morbilli metuendi non ſunt. Vidimus tamen, morbillos fuiſſe prægreſſos. Notavimus & illos ſubſecutos fuiſſe variolas. Ratio eſt: quia neutrobique fermentum, ſive inquinamentum, radicitùs erat evulſum.*

IX.

Cur in quibuſdam paucæ, in aliis copioſæ admodùm variolæ

riolæ erumpant: adeò ut vix ſatis ſpatii in cute inveniant? *Paucis corripiuntur, quorum Matres optimè ſe in victus ratione geſſerunt, & εὐκρασία viſcerum ſunt prædita. Hæ enim bonum & laudabilem producunt ſanguinem, qui impuritates in ſe habet paucas. Talem quoque gignunt liberi, ſi & ipſi benè ſint conſtituti, & in diætæ quantitate, qualitate, & tempore rectè ſeſe gerant. Ex quo fit, ut paucioribus affligantur variolis. Pluribus contrà, quorum & Matres, & ipſi δυσκρασίᾳ atque impuritate viſcerum laborant, & licentiosè intemperanterque vivunt. Eſt tamen in nonnullis paucitatis variolarum cauſa, non ſolùm paucitas materiæ peccantis, ſed etiam infirmitas naturæ expellentis. Multitudinis cauſa contraria eſt.*

X.

Cur quædam variolæ lethales ſint: quædam ratione eventus ſalutares? *Lethales ſunt propter internas & externas cauſas. Externæ ſunt materiæ κακοήθεια, ad exitum ignavia, & egreſſæ remeatio. Febris item magnitudo: & ſymptomatum ab utraque cauſa dependentium vehementia. Internæ ſunt errores ab ægro, Medico, & adſtantibus in diæta, pharmacia & chirurgia commiſſi.*

XI.

Cur variolæ quibuſdam in utero, aliis demùm extra uterum obtingant? *In quibus natura eſt fortior, calor vegetior, viæ liberiores, materia copioſior & malignior, adeò ut naturam tùm copia magis gravet, tùm qualitate vehementiùs ſtimulet, iis variolæ in utero obtingere queunt. Quorum autem contraria eſt ratio, extra uterum demùm, ut ſic loquamur, variolantur. Nam dùm continentur in utero, natura eorum*

valdè

valdè & circa nutritionem, & circa membrorum perfectionem, & circa actionem illorum occupata eſt: adeò ut pluribus uno tempore obeundis actionibus vacare nequeat. Aliquando etiam expulſionem variolarum diutiùs extra uterum differt: vel quia materia eſt pauca: vel quia non admodùm prava: vel quia natura illi quodammodò eſt adſueta, & actionibus aliis intenta. Ideóque differtur expulſio, donec materia ſit adaucta, & aliqua cauſa adfuerit, quæ naturam inſtiget.

FINIS.